



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

10. Quo modo justum iudicium iudicandum?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45699**

S. Ambr. ser.  
20.  
Luc. 6. 37.

rario iudicio reponitur) sed diuinum, & iustum, & seuerum docet, pro temerario patiendum, ita enim loquitur: *Graue est de alio iudicare.* Vnde & scriptum est: *Nolite iudicare, & non iudicabimini, cum enim vnusquisque sit suorum conscius peccatorum, quo modo potest de alterius iudicare peccato? Iudicet de alterius errore, qui non habet, quod in se ipso condemnet. Iudicet ille, qui non agit eadem, qua in alio putauerit puniendam, ne cum de alio iudicat, in se ferat ipse sententiam. Iudicet ille, qui ad pronuntiandum nullo odio, nulla offensione, nulla lenitate ducatur.* Itaque dignus fuit ille impurus homo, qui ipse Veneris causa ibat ad meretrices, vt, quia Vitahium eodem animo illuc subire iudicabat, eumque idcirco verberare non verebatur, vicissim quoque ipse verberaretur; & palam fieret vbiq; Alexandria, eum reuera esse, quod in altero temere iudicauerat.

X.

S. Basil. in re-  
gulis breuior.  
q. 164.  
Matth. 7. 1.  
Ioan. 7. 14.  
Rom. 14. 10.

Hæc de iudicio temerario dicta, non tollunt omne iudiciũ. Vnde S. Ambrosius adiecit: *Iudicet ille, qui ad pronuntiandum nullo odio, nulla offensione, nulla lenitate ducatur.* Et S. Basiliius ait: cum Dominus aliàs dicat: *Nolite iudicare, & non iudicabimini: aliàs verò: Iustum iudicium iudicandum esse praeceperit, nequaquam in vnuerſum interdicitur nobis, quò minus iudicemus, sed in iudicio faciendo, iubemur delectum habere, quem dilucide monstrauit nobis Apostolus, qui de his quidem, qua posita sunt in libera cuiusq; potestate, dixerit: Tu autem, quid iudicas fratrem tuum? Et iterum: Non ergo amplius inuicem iudicemus. In his verò, qua displicent Deo, eos reprehendat, qui non iudicant.* Itaque, teste S. Augustino. *Duo sunt, in quibus temerarium iudicium cauere debeamus: cum incertum est, quo animo quidque factum fuerit: vel cum incertum sit, qualis futurus sit, qui nunc vel bonus, vel malus apparet. Si ergo quispiam, v. g. conquestus de stomacho ieiunare voluit, & tu id non credens, edacitatis vitio tribueris, temere iudicabis. Item si manifestam edacitatem ebriositatemque cognoueris, & ita reprehenderis, quasi numquam illa possit corrigi atq; mutari, nihilominus temere iudicabis. Non ergo reprehendamus ea, qua nescimus, quo animo fiant; neq; ita reprehendamus, qua manifesta sunt, vt desperemus sanitatem. Esitabimus iudicium, de quo nunc dicitur: Nolite iudicare, ne iudicetur de vobis.*

S. Augustin.  
lib. 2. de ser.  
Domini in  
monte c. 18.

de vobis.

CAPVT